



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Sortes, Qvibvs, Ne Temere Cadant, Temperandis; Vel, Si  
Temere Dvcvntvr, Castigandis, Divini Ivdicii Æqvitas  
Semper Adest**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1645**

§. 12. Orationes iustoru[m], quantam, apud Deum vim habeant, etia[m] in  
ipsius naturæ leges?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52306)



**Isa. 38. 1.** rex sibi exorauit. *Hac dicit Dominus, ait Isaias, dispone domui tuae, quia morieris tu, & non viues: tunc conuersus Ezechias ad parietem, orauit ad Dominum, fletu magno. Et factum est illico verbum, ad eundem Prophetam: Vade, & dic Ezechia: Hac dicit Dominus Deus patris tui: Audiui orationem tuam, & vidi lachrymas tuas. Ecce ego adyciam super annos tuos, quindecim annos, & de manu Assyriorum eruam te, & ciuitatem istam, & protegam eam.* Tanta est vis orationis, vt per eam Ezechias sibi, David ingenti hominum numero, vitam prolongarit, etfi Deus oppositum decreuerit facere, idq; decretum, lata sententia, confirmarit. Terreni Principes decreta semel emissa inuiolabilia volunt permanere; nec precibus, nec lachrymis, nec eiulatibus sinunt ea infringi. Non ita inexorabilis est Deus, cuius decretum ac sententiam vnus hominis oratio potest reuocare.

## §. XII.

*Orationes iustorum, quantam, apud Deum vim habeant, etiam in ipsius natura leges?*

Quin adeò multum valet deprecatio iusti, apud Deum, vt quodammodo Deo impera-



perare, & in naturæ ipsius legibus dispensare videatur. Si gubernatore ciuitatis vigiliis obeunte, ei qui facem præfert, miles quispiam diceret: Heus tu, siste gradum, & lumen mihi suppedita, donec de inimico meo me vindicem; an non miraremur audaciam? quid enim hoc aliud esset, quàm præcipere ipsi gubernatori, vt expectet, & se duellantem adiuuet? Ita supremus ille totius creaturæ Gubernator, assidue Vniuersum hoc, sua prouidentia, circuit. Sol autem, tanquam fax, fertur, non quòd ipsi lumine hoc opus sit, sed vt se cuncta videre declaret. Iosue igitur generosus ille miles, contra Chananæos, pugnaturus, ausus est exclamare: *Sol, ne mouearis, contra Gabaon.* Iosue 10:12. Quid est hoc aliud, quàm Soli ac Deo præcipere, vt cursum suum & totius vniuersi sistat? nam, sole stante, utiq; etiam luna & stellæ, atque cælum omne substiterunt, ne debita Mundi symmetria perturbaretur. Enimuerò *stetit sol, in medio celi, & non festinauit occumbere, spatio vnus diei: non fuit antea, nec postea tam longa dies, obediente Domino voci hominis.* Quid cupimus amplius? *in diebus Ezechix, etiam retro redijt sol.* Tres pueri, in fornace, orando

K 3

ignem

Eccli. 48.  
26.



ignem refrigerauerunt. Daniel, in lacu, orando leones mansuefecit. Apostoli, alijq; Sancti orando mortuis vitam reddiderunt. Denique nihil est, quod orando innocentes, apud mitissimum suū Iudicem Deum, non possint impetrare.

## §. XIII.

*Accidi multis vitam, vt contra eos iure agant, qui in hac vita iniuria affecti sunt.*

Quid hac digressionem autem, me velle demonstrare putatis? Nempe illud, tametsi alioqui naturæ vires multis tantæ essent, vt adhuc longam ætatem possent prouicere; tametsi etiam ipse naturæ author vitam illis longiorem largiri voluisset; tamen vitam eorum abrumpi, vt non dimidient dies suos, contra quos orant iniuste passi, iniusteque, à iudicibus, magistratibus, aut principibus damnati. Exaudit Deus suos: inimicos autem suorum *deducit in puteum interitus*. Vnde sequitur: *Viri sanguinum, & dolosi non dimidiabunt dies suos*. Et cur non exaudiret orantes, quemadmodum D. Bernardus vir patientissimus alioqui & mansuetissimus orauit? Oravit autem ille quoq; his verbis

*S. Bern. aliquando: Tuum, Domine IESU, tribunal appela*

*Psal. 54.  
23.*